



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Historiam Complectitur vniuersæ Paßionis Dominicæ

Puente, Luis de la

Coloniae, 1614

Med. 3. De Christi ingressu in Ierusalem, cum Ramis palmarum, &
applausu populi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54653)

MEDITATIO. III.

DE HIEROSOLYMITANO
*Christi cum ramis palmarum
ingressu.*

PUNCTVM I.



CONSIDERANDVM est primùm, Christum Dominum, quinq; dies ante mortem suam, voluisse intrare Hierosolymam, in qua erat crucifigendus, & occidendus, magnis lætitiæ signis, & magna externa pompa, quam Hebræi solebant adhibere, dum a Paschalem agnum *quinque dies antequam esset immolandus*, in suam domum recipiebant. Hunc ingressum statuerat Saluator noster facere ob causas aliquas amore plenas.

a Exo. 12. 6.

PRIMA fuit, vt suam ad patiendum propensionem & lætitiã ostēderet, qua labores, qui ipsi Hierosolyms manebant, amplecteretur, ideoq; tanta animi exultatione eam ingrediebatur, quãta solent, qui eunt ad nuptias: Zelus enim gloriæ Dei, & voluntatis æterni sui patris ad hominum redemptionem exequendæ, iucunditatem illi adferebat, quod omnes illos labores & cruciatus esset perpeffurus: quos tamen ad eò præsentem in memoria habebat.

I.

S. Agatha.
S. Lauren-
tius.

atque si tunc illos pateretur. Ex hoc exemplo prouenit, vt ad Martyres ita læti ducerentur ad carceres atque ad nuptias; & in craticula ignita ita iucundè iacerent, atque si esset floridus lectus. O dulcis IESV, erubesco in tuo conspectu, ob repugnantiam, quam experior in me ad labores tui amore tolerandos: adiuuame, exultatio mea, vt exultem ego, aliquid pro te patiens, sicut tu exultabas, cum pro me patereris.

II.

S. Thom. 3. p.
q. 46. a. 7.

c. 2. Cor. 12. 9

SECUNDA causa fuit, vt intelligeremus, quando in horto Gethsemani, & in passionis suæ decursu, timores, tristitias, tædia, & agonias patiebatur, id totū in inferiori præcipuè animæ parte accidisse; cuius naturali inclinationi corporis dolores repugnabant; sed eodem tamen sponte & magna superioris spiritus partis exultatione tolerabat: eò quod voluntas Patris æterni, in eis resplenderet; & in hoc ipso ad mortem vsq; perseuerauit; eà ratione nos docens, quòd summa patientia in eo consistat, vt, magna spiritus voluptate nos offeramus, nò solum ad labores æternos, sed ad internas quoque afflictiones. Ad quod meritò anhelare debeo, & exemplo Apostoli *libenter gloriari in infirmitatibus meis, & placere mihi in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo: libenter itaq; Saluator mi, carnis tristitias & agonias amplectar, vt te cum gaudio spiritus possim imitari; renuncians omnibus carnis & sensuum blanditijs, ne me à tui imitatione retrahant.*

TER-

TERTIA causa fuit, vt ostenderet, omnes in-
 iurias, calumnias & persecutiones, quas Iero-
 solymis aliàs sustinuerat, non esse sufficien-
 tes ad extinguendam charitatem & amorem,
 quo illam ipse prosequabatur; nec desiderium
 & animi voluptatem, qua afficiebatur, dum
 illam visitaret, doceret, & quicquid posset bo-
 ni in eam conferret: simulq; securam eam red-
 debat, quod neque ignominia & dolores, in
 eadem ipsi nunc imminentes, remissuri essent
 ipsius charitatem; nec impedituri quo minus
 ipsam in gratiam & amicitiam reciperet, si il-
 la ad eum rediret. O immensa **I E S V** chari-
 tas, o vehementissime amoris ignis, d quem *d Cant. 8. 7.*
aqua multa non potuerunt extinguere, nec fla-
mma tribulationum obruent illum! Eadem
 hæc charitas in eo huc vsque perdurat; etsi
 enim lethale aliquod peccatum in anima mea
 admittens, *e rursus ipsum intra me ipsum cru-* *c Heb. 5. 6.*
cifigam, eiusque pretiosum sanguinem eo fa-
 cto conculcem, ac propterea ipsum ignomi-
 niosè à me repellam: ipse nihilominus secun-
 do reuertitur, & magna lætitia, per meas
 portas ingreditur: vt me visitans, denuo suam
 gratiam mihi communicet: & si iterum eum
 crucifigam, proculcem, & à me repellam, re-
 uertetur tertio eadem iucunditate, qua vene-
 rat primo. O benedicta sit talis charitas, &
 milles Angeli illum laudent, propter eam.
 Veniat tua maiestas redemptor mi, ad ingra-
 tam hanc Hierusalem animæ meæ; si quidem
 tantopere eius visitatione delectaris: statuo

B s enira

enim firmiter, nunquam te amplius à me reuocare, sed ea reuerentia te imposterum tractare, qua tanta tua charitas meretur. Sed quoniã ego sum inconstantissimus, adiuuet me ipsa tua gratia, ad constantiam in ea retinenda.

IV.

QVARTA causa fuit, vt intelligamus, quod labores & contemptus, pro diuina voluntate exequenda, & virtute exercitanda pati, sit quiddam gloriosum & honorificum in oculis ipsius Dei, Angelorum, & etiam hominum iustorum; ideoque ita illos aggredi oportet, vt non solum gaudium & lætitiã præferamus, sed etiam honoris & pompæ insignia ex eis conficientes in iis gloriemur, & honorem ex eis quæramus, non erubescendo, aut pudorem aliquẽ propterea, quod illa subeamus, ostendendo; auertat hoc à me Deus, vt aliquid

f. 1. Pet. 4. 15.

f. patiar, vt homicida aut fur aut maledicus aut alienorum appetitor, in pœnam huiusmodi criminum; id enim pudorem & ruborem meritò adfert, at vt Christianus pati propter iustitiã, non erubescam, quia id honor est meus, sicut fuit Domini mei.

V.

VERVM vterius progressa est ipsius IESV charitas, & propensio ad patiendum. Vult enim intrare Ierosolymam tãto honore & comitatu, vt contemptus & ignominia, quæ illi imminebant, hac ratione maiores redderentur: sicut illis contingit, qui ex magna aliqua dignitate & honore decidunt, iuxta illud Dauidis *g exaltatus autem humiliatus sum & cõ-*

g Psal. 37. 16

turbatus. Et eius pater apud Isaiã ait, seruus

mem

Isai. 25. 13.
 meus exaltabitur & eleuabitur, & sublimis e-
 rit valde, sicut obstupuerunt super te multi: sic
 inglorius erit inter viros aspectus eius, & forma
 eius inter filios hominum. Bonus itaque noster
 IESVS, semper externum hominum honorem
 refugit: quod si nunc illum procurauit, aut
 oblatum acceptauit, id fecit, vt hac ratione
 maior esset ignominia, quæ honorem hunc e-
 rat subsequutura: ad hoc enim honorem hunc
 direxit, vt maiori afficeretur ignominia. Gra-
 tias tibi dulciss. IESV, pro fame aded infatia-
 bili ignominiarum & contemptuum, quam
 habuisti, propter quam demissè supplico, ta-
 lia mihi desideria patiendi pro te ignominias
 suggeri, vt nihil de eis remitram, etiam cum
 honores accepero, Amen.

PUNCTVM II.

CONSIDERANDA hic est dispositio,
 qua Christus Dominus in hoc ingressu
 est vsus, misit enim a duos discipulos di- *a Mat. 21. 2*
 ces eius, ite in castellū quod contra vos est, & sta *a Mar. 11. 2*
 tim inuenietis asinā alligatā & pullum cum ea, *b Luc. 19. 35*
 soluite & adducite mihi, & si quis vobis aliquid
 dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet, &
 confestim dimittet eos: cunctes autem discipuli
 fecerūt, sicut praecepit illis IESVS, & iactantes
 vestimet a sua supra pullum imposuerunt IESVM

PERPENDENDVM hic est, quod cum Rex
 iste cœlestis, semper consueuisset pedes iter
 facere, per totam Galilæam & Iudæam: hac
 vice tamen, vt sui regni aliquod indicium o-
 stēderet, nō pedes Ierosolymā intrare voluit,

nec

I.

nec in curribus tamen quatuor equorum, neque equo aut mula insignibus ornamentis phaleratis, sed in vno iumento, pauperibus discipulorum vestimentis ornato, conculcans hac ratione humanam pompam; præferens verò, tanquam regni sui insignia, suam paupertatem, humilitatem & mansuetudinem, quibus in mundo tanquam Messias & saluator erat agnoscendus, iuxta Zach. prophetiam dicentis, *c dicite filia Sion, ecce rex tuus veniet tibi iustus & saluator, ipse pauper & ascendens super asinum*. Discam ex hoc exemplo, omnem mundi pompam detestari, paupertatem verò mansuetudinem, & humilitatem Christi amplecti; Si enim hæc sunt regis mei & Domini mei insignia, rationi consentaneum est, eorum quoque ea esse, qui se tanti Regis subditos esse gloriantur; ac propterea eisdem debeo me ornare & præparare, vt illi obuiam eam. siquidem & mihi dicitur, *ecce rex tuus venit tibi*. O vtinam intelligerem, quis iste sit rex meus, & quomodo veniat mihi! tu saluator mi, rex meus es, & rex regum, & hominum, & Angelorum, rex cœlorum & terræ, rex natura tua, filius æterni patris, omnium

q; z creata sunt Monarcha, d regnum enim tuum, regnum omnium seculorum, & dominatio tua in omni generatione & generatione, & tu de cœlo venis mihi ad salutem meam, ad consolationem, ad remedium, ad exemplum, ad defensionem & protectionem meam. O rex & dilecte mi, e tu mihi, & ego tibi: ecce me

c Zach. 9. 9.

*d Ps 144. 13
d Apoc. 19.
16.*

c Cant. 2. 16.

me

medicatum tibi, seruitio tuo, honori & gloriae tuae, vt tibi obediam, te adorem & amem, sumque totus tuus, siquidem tu totus es meus; & siquidem tu venis ad me pauper, mansuetus, & humilis: & ego volo obuiam tibi ire in paupertate, mansuetudine, & humilitate, eisdem me induens insignibus quibus tu vteris.

DEINDE particularia, quae in hoc mysterio latent, perpendam. Duos discipulos mittit, vt iumentum deducant, & non vnum solum, vt solitum teneret morem, vt sociati, & bini, charitateque coniuncti incederent. Iubet solui iumenta, & ad se deduci, vt significet, Apostolorum officium esse *peccatores*, qui *sumibus peccatorum suorum constringuntur*, soluere: & ad Christum deducere, vt illos sub manibus suis tenens, ita gubernet: sicut gubernat iumentum, qui illi infidet. Iubet vt volenti prohibere, dicant, *quia Dominus his opus habet*, quod insinuat, quod sicut non deerunt, qui officium animas peccatorum soluendi impedire tentent: sic ea impedimenta cessatura in nomine ipsius Domini, qui illos iubet adduci, quia his opus habet, pro gloria sua. O verbum omnipotens, quod & obstruit ora, & manus ligat eorum, qui Domini mandatum tentat impedire! O Rex gloriae, quid tibi opus est tam vili & abiecto iumento vt, vt est peccator? *g qui cum in honore esset, non intelligens, comparatus est iumentis, & similis factus est illis*, ego miser sum, qui te opus habeo,

non

II.

f *Prou. 5 22.*g *Pf. 48 13.*

non tu me; ego propter mea peccata, ut iumentum factus sum apud te, & passionum mearum funibus constriictus teneor; iube Domine me solui, & tuo conspectui fisci; erit enim mihi gaudium ferre super me onus tuæ legis, teque ipsum in ea, tanquam gubernatorem meum: ne patiaris deemonem, mundum, & carnem, hanc solutionem impedire: sed verbo tuo dic eis, quia seruo tuo opus habes, & confestim dimittet me liberum & expeditum, ut possim pro voto tibi seruire.

PUNCTVM III.

PERGENTI Christo Domino, ac iumento insidenti, repente ex diuina inspiratione obuiam ei venit a plurima turba, quorum quidam strauerunt vestimenta sua in via, alij autem cadebant ramos de arboribus, & sternebant in via, alij ex ipsa ciuitate Hierusalem, palmas in manibus gestantes, in signum victoriæ, obuiam ei venerunt, & omnes ingenti gaudio **b** qui præcedebant, & qui sequebantur, clamabant dicentes, Hosanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini rex **c** Mar. 11. 10. Israel, Hosanna in excelsis, **c** benedictum quod **d** Luc. 19. 38 venit regnum patris nostri Dauid, & pax in cælo & gloria in excelsis. Circa hoc factum stupendum, quod Spiritus S. inspiratione peractum est, perpendam **PRIMO**, quam verè pater æ-

ternus,

ternus, filium suum honoret veris solidisque honoribus & laudibus.

UT enim in primo eius in hunc mundum ingressu, cum natus esset in spelunca Bethlehemitica, exercitus misit Angelorum, qui stupendum illum Regis sui in mundum aduentum, solemnizantes canerent, *et gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonae voluntatis*, ita nunc ipso ingrediente Ierosolytam, paupere & miti, iumentoque infidenti, excitat idem æternus Pater exercituum hominum, & puerorum innocentum, ut ingressum hunc solemnizantes, eodem, quo illi Angeli, spiritu dicant, *pax caelo sit nobiscum, qui degimus in terra, & gloria ipsi Deo in excelsis*, benedictus qui venit in nomine Domini, Angeli petunt pacem in terra ab hominibus erga Deum; hi verò Hebræi, petunt pacem in caelo à Deo erga homines.

O PATER æterne, gratias tibi ago, pro honore, quo filium tuum vnigenitum prosequeris, cum implendæ voluntatis tuæ causa, ad cõtemptum & ignominiã subeundam pergit: O spiritus sanctissime, gratias tibi, eò quod turba huic eam laudum formam, ad gloriam mei Redemptoris inspiraueris: exulto Redemptor mi, cum video omnes te laudare ac benedicere, & ego cum eis simul eodem spiritu laudo te, ac benedico, dicens: *Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini*. Hæc verba adhibet

Eccle-

Ecclesia in Sacro Missæ, ad finem Præfationis in memoriam aduentus ipsius Christi Domini, in altissimo altaris Sacramento, quæ eadem verba, eodemq; spiritu exclamans, & ego dicam, benedictus qui è coelo ad hoc Sacramentum venit, nostræ salutis causa: veniat cum eo pax de cœlis, sitq; Deo gloria in excelsis.

II.

DEINDE perpendam illius turbæ deuotionem: quæ seipsam vestimentis suis spolians, ea, in signum reuerentiæ, sternebat in terra, vt CHRISTVS pertransiens, illa calcaret; felices se existimantes, si res suas ipse contingeret. Quo eodem spiritu, res omnes meas, ad ipsius CHRISTI pedes proiciam, vt de iis pro suo libitu disponat. En mi Redemptor, ad pedes tuos proicio non solum fortunas meas, sed honorem meum, & quicquid mihi iucunditatem adferre potest: cor meum, & me ipsum totum, calca me, Domine, preme, & statue de me pro tuo libitu: triumphum age de me, qui tuus fui inimicus; palmam ego huius victoriæ tuæ in manibus meis portabo, toti que mundo lubens manifestabo: nam quod me tibi dedam, est quidem victoria tua, sed lucrum meum; & victoria etiam mea est, sed in virtute tua.

— 80 —

PUNCTVM IV.

INGREDIENTE Christo ciuitatem, a quibusdam Pharisaorum de turbis dixerunt ad illū, *a Luc. 19. 39*
magister increpa discipulos tuos, quibus ipse ait, dico vobis quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.

PERPENDENDA hic primò est iniquitas inuidi, qui grauitè fert sui proximi gloriam; & condemnat tanquam malum, quod reuera est bonum; & illusionem seu passionem appellat, quod est à Spiritu sancto inspiratum: ideoque agit, vt reprehendatur, quare talis inuidus indignum se reddit, cui Deus inspiret, & ad ea, quæ ipsi sunt placita, permoueat, sicut plebem simplicem ac deuotam permouit, vt in Christi laudibus operam suam poneret.

I.

DEINDE perpendenda est diuinæ inspirationis efficacia, quæ potest hominum corda permutare, & ignaros docere, ac permouere ad Deum feruenter glorificandum, relictis interim superbis Pharisæis, in sua superbia & torpore, quod indicant illa verba: *dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt*: atq; si dixisset, non isti cessabunt ab incepto, quia Deus vehemèti inspiratione eos ad id permouet: quod si tacerent ipsi, excitaret Deus alios etiam si instar lapidum duri essent, qui clamarent, idemq; dicerent, quod isti dicunt: est enim potens Deus ad omnia *b Mar. 3. 9.*

II.

IV. Part. Medit.

F

pidi-

pidibus suscitare filios abraham: quod si ita nunc
tacerent, pauld post in mea passione ipsi lapi-
des clamabunt, cum magno strepitu inciden-
tur, quibus clamoribus me Deum prædicabunt.
O dulcis I E S V, emollias duritiem cordium
Iudæorum & gentilium, quo diuinus tuus spi-
ritus locum in eis inueniat, teque verum Mes-
siam agnoscentes, clament ac dicant: *benedi-
ctus qui venit in nomine Domini ad saluandum*
*nos. Salua tu illos, saluator mi, nec obli-
uiscaris cordis mei, quod ipsis lapidibus du-
rius est: sed emollias illud, vt spiritu deuotio-
nis, cum orat, tenerius reddatur: & ad te sem-
per amandum, & laudandum in secula per-
moueatur, Amen.*

MEDITATIO IV.

*QVO MODO CHRISTVS
super ciuitatem Ierusalem fleuerit,
cum illam vidit.*

PUNCTVM I.



VM persequeretur Christus Do-
minus iter suum, cum eo comita-
tu, & tanto turbarum applausu, vt
proximè diximus, a vt appropin-
quauit, videns ciuitatem fleuit su-

a Lac. 19. 41 per illam. Perpendenda hic est harum Christi
lacry-